



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

III. Quid, & quotplex sit Renunciatio Beneficiorum, & ex quibus causis fieri possit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

Quæst. III. Quid, & quotuplex sit Renunciatio Beneficiorū, &c. 707

etiam si quando quis incipit conveniri, vel prius dimittere, esse tenendam; etò præsertim, quia Concilium Trid. loc. cit. hanc penam jure ipso imponit illi, qui ejusmodi Beneficia incompatibilia recipere, & simul retinere præsumperit.

27. Quæres, an in nullo prorsus casu possit quis simul habere plura Beneficia? Resp. Hoc in nonnullis casibus accidere posse. Et primò quidem per legitimam dispensationem, de qua superioris num. 15. & segg. Deinde id accidit sine dispensatione, quoties ipsa Beneficia non sunt incompatibilia: prout fit in Beneficijs implicibus, quorum singula ad honestam sustentationem Clerici non sufficiunt. Tertio, si Ecclesia Cathedralis, vel Parochialis, aut Dignitas ob tenuitatem fructuum non sufficit congruae sustentationi Rectoris sui, potest simul cum ea uniri, vel obtineri. Beneficium simplex non requirens residentiam, juxta Concilium Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 15.* & 17. Insuper ob eandem Ecclesiæ paupertatem possunt Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, uniones perpetuas Beneficiorum facere, & ita postmodum simul ab eodem possideri: prout concessit idem Tridentinum *Sess. 21 de Reform. cap. 5.* Tandem ob præfata causam quandoque Dignitati, vel Canoniciatu accessoriè annexa est Ecclesia Parochialis, quæ per idoneum Vicarium administrari, ac simul cum Canoniciatu retineri potest, *text. clar. c. Extirpanda §. Qui vero, de Præbend.*

Ita quibus
casibus plu-
ræ simul Be-
neficia ha-
beri possint?

Q U Æ S T I O III.

Quid, & quotuplex sit Renunciatio Beneficiorum, & ex quibus causis fieri possit?

28. **C**ONCL. I. *Renunciatio est spontanea Beneficij Ecclesiastici dimissio, facta coram legitimo Superiore id acceptante. Ita in re communis.*

Renuncia-
tion. Bene-
ficij. quid?
Non valet,
nisi fiat co-
ram legiti-
mo Supe-
riore.

29. Dicitur, *facta coram legitimo Superiore*. Siquidem Beneficia Ecclesiastica non nisi in manibus Ordinarij, hoc est, ipsius auctoritate interveniente resignari debent, c. *Si qui vero, & c. Si quis Presbyter. 7. q. 1.* Et aliter facta resignatio non est valida; atque dimicrens Beneficium sine licentia sui Prælati, potest compelli ad illud reassumendum, etiam per Censuras Ecclesiasticas c. *Non oportet, 7. q. 1. & c. Admonet, de Renunciat. cum concordan- cij. 3.*

Vuuu 3

30. Nec

Quilibet
potest suo
juri renun-
ciare, quo-
modo?

Renuncia-
tio Beneficij
tacita,

Et expressa.

Renuncia-
tio pura, &
conditionalis,
quaes?

Ad renun-
ciationem
requiriuntur
justa causa.

30. Nec dicas. Quilibet potest suo juri renunciare, c. Si diligenti, de Foro compet. ergo & Beneficiarius Beneficio, etiam sine licentia sui Superioris. Negatur enim consequentia: nam regula illa est intelligenda, dummodo id fiat sine præjudicio alterius. Atqui post acceptationem Beneficij, & confirmationem, manet Clericus Ecclesiæ suæ alligatus, quæ pateretur detrimentum, si quilibet ipsorum pro libitu ei renunciare, & veniente lupo, id est, instantे tribulatione, instar Mercenarij aufuge. Ovēisque sibi concreditas relinquere valeret.

31. CONCL. II. Renunciatio Beneficij Ecclesiastici alia est tacita, alia expressa. Ita communis, ac patet inductione. Et quidem Renunciatio tacita dicitur ea, quæ fit facto aliquo resignacione significante, vel ex dispositione Juris eam importante. Nam qui facit id, quo posito ex ipsius Juris constitutione Beneficium amittitur, seu retineri nequit, eidem tacite, seu ipso facto renunciare censetur. Sic fit, dum Beneficiarius in Minoribus constitutus, contrahit Matrimonium: quia tunc Beneficium Ecclesiasticum ipso jure vacat, arg. cap. 1. & 3. de Cleric. conjug. Idem dicendum de eo, qui Religionem solemniter professus est, c. Beneficium de Regularibus in s. & hujusmodi.

32. Renunciatio expressa Beneficij Ecclesiastici illa est, quæ fit verbis expressis, aut scriptis, voluntatem renunciandi aperte declarantibus, coram legitimo Superiore eam acceptante. Ceterum

33. Renunciatio expressa subdividitur in puram, seu simplicem, & absolutam; & in conditionalem. Renunciatio pura, seu absolute est, quæ fit sine adjectione ullius conditionis, modi, vel pacti. Conditionalis vero, quæ fit sub certa conditione, pacto, vel modo: ut si fiat Renunciatio Beneficij ex causa permutationis, vel si quis illud resignet in favorem tertij, puta ut Beneficium conferatur Cajo consanguineo suo, & non aliter intendat resignare; quod appellant Resignare in favorem tertij, seu sub clausula, Non aliter. Insuper Renunciatio conditionalis censetur ea, in qua resignans reservat sibi fructus, vel pensionem ex Beneficio: de quibus singillatio in progressu.

34. CONCL. III. Ad Renunciationem Beneficij requiritur justa, & legitima causa; alioquin Superior eam admittere non tenetur, neque debet. Ita communis Ratio est: quia si quilibet pro suo arbitratu posset Beneficium relinquere, talis libertas in maximum Ecclesiæ detrimentum cederet, aufugientibus pa- sim

Quæp. III. Quid, & quotuplex sit Renunciatio Beneficiorū, &c. 709
sim per renunciationem Pastoribus, si viderent lupum venien-
tem, seu tribulationem instantem.

35. CONCL. IV. Sex sunt causæ, ob quas Episcopus post
sui confirmationem potest petere, & Papa solet concedere licen-
tiam cedendi, seu resignandi Episcopatum. Patet hoc ex e. Nisi
cum pridem, de Renunciat. ubi sequentes sex causæ enumerantur.
I. Conscientia criminis: non quidem cujuscunque, sed illius dun-
taxat, quod postactam poenitentiam impedit executionem Offi-
cij. II. Imbecillitas corporis, per quam quis impotens reddetur ad
exequendum Officium Pastorale. III. Defectus scientie, etiam
competentis. IV. Malitia plebis, ob quam interdum cogitur
Prelatus ab ipsis regimine declinare. V. Grave scandalum, quod
aliter sedari non potest. VI. Irregularitas persona; de quibus ver-
siculi ibidem in Summario allegati:

Debilis, ignarus, male conscientius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala: cedere possit.

36. CONCL. V. Renunciationes Beneficiorum inferiorum
solent admitti cum ex predictis, tum etiam alijs levioribus cau-
sis. Ita Pirnring tit. de Renunciat. num. 54. post Azorium, & alios.
Sic in Curia Romana solet defacto admitti Rennunciatio Benefi-
ci inferioris, praesertim simplicis, quando resignans multo tem-
pore servivit in Ecclesia: vel quando is resignat, ut Beneficium
dimissum alteri conferatur, in cuius gratiam illud Clericus dimit-
tit; dummodò in Sacris constituto, & resignanti, aliunde sit
provisum, unde honestè sese alere possit. Concordat Bulla B.
pjj V. quæ incipit, Quanta Ecclesie (& habetur tom. 2. Bullarij
Romani, Constitut. 58. dicti Pontif.) in qua plures causæ, ob quas
inferiores Beneficiarij resignare valeant, referuntur: veluti si
resignantes sint senio confecti, valetudinarij, aut corpore impe-
ditii, vel vitiati; seu quia eos ad aliud Beneficium contigerit pro-
moveri; vel si sint Religionem ingressuri, aut Matrimonium con-
tracturi, si statim postea id re ipsâ exequantur; quique ob capita-
les inimicitas nequeunt, vel non audent in loco Beneficij reside-
re securi: dummodò resignaturis, & sacro Ordini manci-
patis, aliunde sit provisum, quo possint com-
modè sustentari.



QUÆ-